

### XIII.

#### STATUTI DEL 1410<sup>1</sup>

---

#### [CONSTITUTIONES, STATUTA ET ORDINAMENTA COLLEGII DOCTORUM SCIENTIE MEDICINE CIVITATIS BONONIE].

[497] In Nomine domini nostri Yesu Christi amen. Ad honorem et reverentiam omnipotentis dei et beate marie virginis glorioxe et beatorum confessorum Petronij et Ambroxij, nec non jeronimj et Augustinj ac Tome de Aquino, militantis Ecclesie doctorum, sanctorumque Cosme et damianj, et tocius celestis curie triumphantis, et etiam ad magnificentiam et exaltationem ac honorem et bonum statum sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Alexandrj divina providentia pape quinti et sancte Romane Ecclesie, ac etiam Reverendissimj in Christo patris et domini d. Baldassaris Cosse, miseracione divina sancti Eustachij diaconj Cardinalis, Apostolice sedis legati ac Bon. etc. pro sancta Romana Ecclesia in spiritualibus et temporalibus vicarij generalis et tocius Civitatis bononie et amicorum eiusdem, et ad perpetuam doctrinam, regulam et observationem tocius Collegij doctorum scientie medicine civitatis bon., visa corecta et examinata, et ex antiquis voluminibus constitutionum et statutorum dicti Collegij de novo compillata et in publica forma redacta fuerunt Constitutiones, statuta et ordinamenta Collegij antedicti, tempore infrascriptorum doctorum dicti Collegij et in ipso Collegio incorporatorum et vocem habentium, quorum nomina sunt hec, videlicet: Magister Johannes de buchis, ad presens prior dicti Collegij, Magister Martinus de Cento, Magister paulus de buvalinis, M. Johannes de cazano, Magister Petrus de Varignana, Magister Johannes de muglo, Magister Franciscus Aristotilis, Magister Guizardus de principibus, Magister Antonius de ferris, Magister [498] petrus de Argelata, Magister Bandinus de muglio, Magister dominicus de Raigoxa, Magister Johannes Magistri Guidotj, Magister Vincentius Magistri Antonij Vincentij, Magister danyel de sancta sophia, Magister Andreas de cazano, sub Annis, Indictione, mensibus, diebus, pontificatu, loco et presentibus doctoribus dicti Collegij inferius in publicatione et approbatione infrascripta, in fine voluminis ipsarum constitutionum ac statutorum et ordinamentorum predictorum inferius descriptis, ac scripta, lecta et publicata per me Bartolomeum condam Magistri Jacobi de muglio notarium bon., Et nunc, una cum Johanne condam Martinj de dugliolo notario bon., dicti Collegij notarium, de mandato dicti Magistri Johannis de buchis prioris Collegij memoratj et aliorum dicti Collegij doctorum inferius, ut premictitur, descriptorum.

#### **De hijs qui sunt in colegio doctorum scientie medicine et de solenitatibus servandis in hijs qui deinceps admitentur ad colegium – Rubrica [J].**

Statuimus et ordinamus quod omnes infrascripti doctores, quorum nomina sunt hec, videlicet: Magister Johanes de buchis, ad presens prior dicti Collegij, Magister Martinus, Magister paulus, Magister Johanes, Magister petrus, Magister Johanes de muglio, Magister franciscus, Magister Guizardus, Magister

---

<sup>1</sup> C. Malagola, *Statuti delle Università e dei Collegi dello Studio Bolognese*, Zanichelli, Bologna 1888, ristampa Torino 1966, pp. 497-522.

Antonius, Magister petrus, Magister dominicus, Magister Johanes, Magister Vincencius et Magister Andreas, actualiter incorporati et pacifice firmatj in collegio doctorum scientie medicine civitatis bononie; ac ipsum Collegium reprehesentantium, sint et esse intelligantur de dicto collegio; et quod nullus doctor de ceptero possit ad ipsum collegium, vel ad honores aut comoda dicti Collegij admicti, nisi fuerit et sit verus civis civitatis bon. ratione originis proprie et paterne vel proprie et avite, vel proprie et proavite. Quam originem paternam vel avitam vel proavitam sufficiat per tres vel quatuor testes fide[di]gnos probare de publica voce et fama. Sed origo propria probetur per quatuor testes fidedignos, qui sint cives bon., et insuper quod reperiatur in scripturis memorialium comunis bon., vel notariorum publicorum comunis bononie, ipsorum vel sui ascendentes descripti inter cives bon., et ad extima civium civitatis bon., et qui non fuerit directe vel per oblicum contra ipsum collegium vel eius honorem, et qui sit doctor aprobatu in privato examine tanquam civis bon. origine propria et paterna a duabus partibus doctorum dicti collegij, et presentatus ad publicum et privatum examen [499] de consensu doctorum dicti collegij bon. per dominum Archidiaconum Civitatis bon., seu alium vel alios dictum officium exercentes in civitate bon., et qui fuerit doctor iam per triennium ante introytum collegij, et ad minus legerit in publicis scholis per annum integrum, et homo bone vite, conversationis et fame, scrutinio prius celebrato cum fabis albis et nigris iuxta formam et modum constitutionis sequentis, aprobationis in publica et privata a dicto collegio et posita in dicto collegio. Et debeant esse dicti de collegio predicto ad plus collegiatj et principaliter incorporatj xv. numero, quorum alter, vel alteri, possit, vel possint, esse presentantem, vel presentantes scolares; et tres bononienses ut supernumerarij ad plus qui succeda[n]t loco absentium secundum ordinem infrascriptorum. Et quod quilibet qui intrare voluerit dictum collegium, scilicet in numero predicto ipsius, teneatur observare infrascripta, s[c]ilicet dare petitionem suam in scriptis priorj, vel qui pro tempore fuerit, in presentia duorum ad minus doctorum dicti collegij, qui prior presentet dictam petitionem collegio doctorum, vel duabus partibus eorum. Et ipse talis, qui agregarij voluerit dicto collegio, teneatur fidem antedicto priorj et prefatis duobus doctoribus facere, de omnibus suprascriptis, silicet antiquioribus dicti collegij; qui prior et antiquiores per se tantum examinent testes et solvere [debeant] et depositum facere, ante congregationem fiendam de dicto collegio pro eius introytu et incorporatione, dicto domino priorj vel notario dicti collegij, treginta ducatorum aurj et iustj ponderis pro dicto collegio et duos alios, videlicet unum pro notario et alium pro bidello dicti collegij, nisi fuerit frater, filius, vel nepos alicuius doctoris collegiatj, quia tunc et eo casu solum deponere teneatur, ut supra, decem ducatos aurj comunicandos et dividendos statim facta incorporatione et dicto introytu antedictj collegij, et duos alios, videlicet unum pro notario et alium pro bidello inter doctores collegiatos saltim per annum ante presentes dicte incorporationj in civitate bon., et absentes rey publice causa tantum; et saltim, facto scrutinio, ut supra, et o[b]tentum quod in dicto collegio agregari debeat ille. Et teneatur ipse talis iurare in manibus prioris, qui pro tempore fuerit, corporaliter ad sancta de y Evangelia, tactis scripturis, quod servabit constitutiones dicti collegij factas et fiendas, et omnia et singula contenta in dictis constitutionibus et qualibet earum, et quod ipse re, verbo, vel facto, numquam erit contra dictum collegium nec aliquem doctorem dicti collegij et eius honorem, Et toto posse deffendere dictum collegium, iura, iurisdictiones et honores collegij prelibati et cuiuslibet doctoris eiusdem, nisi suam vel suorum iniuriam prosequaretur, et quod cuilibet doctorj ipsius collegij semper reverentiam exhibebit, et quod obediet priorj ipsius collegij in omnibus que spectant ad eius offitium et honorem collegij antedicti, et alijs licitis et honestis. Cui juramento, si in aliqua sui parte contravenerit, vel contravenienti consenserit, ipso facto sit privatus ab ipso collegio et quolibet eius honore et comodo, nec aliquo modo possit infra quinque anno restitui, nec posse, etiam nisi fuerit o[b]tentum per tres partes ex quatuor doctorum omnium dicti collegij. Modum sucedendj autem supradictorum supernumerariorum esse volumus et declaramus in hac forma, videlicet, quod loco cuiuslibet mortuj primus supernumerarius, quo ad omnia,

sucedat, et sic sucesive loco secundi et ceterorum secundus et ceteri locorum eorum, actento ordine prioritatis dicti collegij, inter eos vero succedant. In loco vero cuiuslibet absentis non causa reypublice, succedant modo supradicto dicti tres supernumerarij in omnibus preterquam in hijs, que reperirentur prohibita ex forma presentium constitutionum; tamen, si revertatur absens, locum suum statim ipso iure et facto recuperet, et subrogatj vel subrogatus, iuxta formam supradictam loco mortuorum aut absentium, ut [500] supra, ultimo loco, numero adimpleto, secundum formam predictam dictorum collegiatorum et incorporatorum, ipsis vel altero eorum revertentibus, ut supra, ipso iure et facto locum suum tamen primum supernumerariorum recipiat, salva semper constitutione loquente de privilegijs concedendis filijs et fratribus ac nepotibus doctorum tam viventium quam mortuorum.

Declarantes etiam, quod, in quacumque parte nostrarum constitutionum fiat mentio de vero cive vel de vero bononiense, intelligatur ut supra, in principio huius constitutionis, de eo qui est vere et naturaliter civis bon. origine propria, paterna vel propria et avita vel propria et proavita, secundum formam nostre constitutionis et reformationibus posite sub rubrica *de modo et forma servandj studium in civitate bon.* etc. Qui vero fuit seu fuerit admissus ad privatum examen in dicta scientia medicine non tanquam civis bon. ratione originis proprie et paterne, vel proprie et avite, vel proprie et proavite, nec satisdedit de assumendo in dicta scientia privatum vel publicum examen tanquam civis bon. ratione originis proprie et paterne, et qui alias solempnitates in dictis nostris constitutionibus contentas non servaverit, perpetuo non possit esse de dicto collegio, nec ipsi collegio agregari, nec aliquo comodo et honore dicti collegij gaudere.

### **De electione prioris et consiliariorum – Rubrica [IJ].**

Statuimus et ordinamus quod doctores collegij nostrj continuo inter se habeant et habere debeant unum priorem ipsius collegij; qui prior elligatur ad brevia secundum modum acthenus observatum, ubi et quando processerit de voluntate prioris et majoris partis collegij. Quod si non fiat ad brevia, tunc fiat ellectio per voces cum fabis albis et nigris, et ille, qui plures fabas albas habuerit, sit et esse intelligatur prior; ad quam ellectionem prioris novj teneatur prior precedens procedere, cum vocato collegio, per quinque dies ad minus ante finem sui offitij, sub pena periurij. Cuius prioris, sic creatj et ellecti modo predicto offitium incipere debeat finitis tribus mensibus prioris, tunc suum offitium debentis finire, et duret tribus mensibus, ut supra, et non ultra, et aliorum priorum sic creandorum incipere debeat dictis tribus mensibus et duret, ut supra. Qui prior sic ellectus, tempore dicte ellectionis si presens fuerit, vel in proxima congregatione fienda de dicto collegio et doctoribus ipsius, iuret et iurare teneatur corporaliter ad sancta de Evangelia, manibus tactis scripturis, in manibus tunc prioris, collegium prelibatum eiusque iura totis viribus deffensare et constitutiones eiusdem collegij observare iuxta ipsius possibilitatem, et non pati collegium predictum congregarj nec etiam congregari facere pro aliqua re vel facto, quo[d] videatur reddere posse, seu redundare posse in dampnum, dedecus vel obprobrium dicti collegij, et quemlibet doctorem dicti collegij venientem contra dictas constitutiones dicti collegij, vel aliquam earum, verbo vel facto condemnare secundum formam et modum dictarum constitutionum. Et penas in quibus incurrisse, seu incurrisset, vigore dictarum constitutionum, exigere seu exigi facere infra tempus eius prioratus offitij, sub pena dupli eius quod fuerit condemnatus ille a quo exigere debuerit. Item quecumque et omnia eidem domino priori in secreto comissa fuerint per dictum collegium, in secreto retinere debeat, et non propalare, nisi et quando processerit de voluntate doctorum dicti collegij. Et etiam quod in dicto collegio non proponet nec proponi consentiet directe vel [per] oblicum, quod aliqua constitutio, vel eius pars, tollatur vel dispensetur, nisi sit [501] et in quantum caveretur et permicteretur ex forma dictarum constitutionem, vel alicuius earum, vel nisi processerit de voluntate trium partium ex quatuor partibus

doctorum dicti collegij, presentialiter existentium in civitate bon., scrutinio cum fabis albis et nigris inter ipsos primo legitime celebrato. Et quod congregabit et congregari faciet predictum collegium, tociens cociens videbitur congruum et oportunum fore pro bono et honore comodo et utilitate dicti collegij, et decori doctorum eiusdem, et non aliter nec alio modo, nec alia causa, et etiam quociens fuerit requisitus per tres doctores dicti collegij antiquiores, vel per consillarios. Quod si forte aliter factum fuerit, ipsa congregatio et omnia et singula in ea ordinata vel facta, ipso iure et facto sint et intelligi esse debeant cassa et vana ac nullius efficitie. Volumus etiam quod post electionem prioris eligantur duo consillarij secundum formam predictae constitutionis de electione prioris, qui habeant ipsi priori consullere sub vincullo iuramentj, eis prestandj, de eis que crederint honorabilia fore, paciffica et utilia ipsi collegio et doctoribus eiusdem, ac cum dicto priore talia facere secundum consuetudinem.

**De officio et iurisdictione domini prioris, et quod nullus possit committere vocem alteri –  
Rubrica [IIJ].**

Volumus, et presenti constitutione firmamus, quod dictus prior dicti collegij possit, teneatur et debeat congregare, et congregari facere dictum collegium, et doctores ipsius ad minus semel in mense pro omnibus necessarijs vel oportunis aut quomodolibet utilibus dicto collegio et doctoribus ipsius, sub pena quatragesima soldorum bon. pro qualibet vice, dum tamen congregari facere non possit pro aliquibus, vel aliquo, prohibitis, vel prohibito, in presentibus constitutionibus, sub pena periurij et quinque librarum bon. pro qualibet vice, qua contrafecerit, vel predicta facere obmiserit, exigenda et aplicanda doctoribus dicti collegij. Et incontinenti in congregatione predicta teneatur proponere quecumque non prohibita, ut supra, cum fuerint petita, prius tamen lecta posta, super qua dictum collegium providere debet, vel debeat, petendo consillium a doctoribus dicti collegij, super quo petitur provideri. Et secundum consillium et voluntatem consilliariorum, vel maioris partis eorum, ponat ad partitum cum fabis albis et nigris, et scrutinium faciendo de quolibet consillio per se, donec alterum ex predictis consillijs fuerit aprobatum, remanendo in electione dicti prioris, quod consillium proponere et proponere velit ex dictis consillijs et voces plurium doctorum, numero ibidem presentialiter existentium, sequi, si fabe fuerint equales, alias teneatur sequi et proponere illud, quod habuerit plures voces vel fabas ex dictis doctoribus. Que fabe colligi debeant per antiquiorem doctorem, vel per notarium, aut bidellum dicti collegij ibidem presentialiter existentes, qui debeat aperiri in presentia dictorum doctorum, ita quod publice a doctoribus ibidem existentibus videantur et videri possint. Que partita, provisiones et omnia fienda per priorem dicti collegij et doctorum ipsius scribi debeant per notarium dicti collegij. Et valleat, possit et teneatur ipse prior cognoscere sumarie et de plano, sine strepitu et figura iuditij, de omnibus et singulis questionibus, que verterentur, vel verti possent, inter prefatos doctores occasione colegij prelibati vel quacunque alia occasione, aut cum quibuscunque alijs singularibus personis litigare volentibus cum aliquibus [502] doctoribus dicti collegij, quacunque ratione vel causa, semper reservata forma nostrorum statutorum precedentium vel sequentium, quibus dominus prior non possit contravenire, dum tamen eas decidere non valeat sine consilio et assensu maioris partis doctorum dicti collegij. Et decisionj vel sententie illi stetur, nec ei possit aliquis dictorum doctorum contravenire vel contravenienti consentire, nec aliquo modo querelare ad regimen civitatis predictae, nisi in predictis non foret servata forma statutorum, vel nisi apareret manifeste ipsum indebite et perpere sententiassse, pena privationis collegij et centum bon. aurj, aplicandorum secundum formam constitutionum sequentium, tociens exigenda, quociens fuerit contrafactum. Ac etiam multare et condempnare, usque ad quantitatem decem soldorum bon. ad plus, quemlibet ex doctoribus existentibus, presentialiter presentibus in civitate bon., requisitum per bidellum dicti collegij, qui non interfuerit congregationj dicti collegij sine iusta causa, arbitrio prioris aprobanda.

Quam requisitionem facere fieri teneatur dictus prior per bidellum predictum per unam diem ante congregationem fiendam de dicto collegio ad minus. Ita quod verisimiliter ab omnibus doctoribus sciri possit, dum tamen predictus, vel predicti doctores, non fuerint impediti ex probabili vel necessaria causa, declaranda per dictum dominum priorem in sequenti congregatione fienda. Et eius declarationi stari debeat, ac etiam et omnes et singulos contrafacientes contra formam dicti collegij et constitutionis, sub penis in dictis constitutionibus contentis, et que multa, seu pena, aplicetur et exigatur ut supra. Predicta autem prohibita non debeant in aliqua congregatione proponere, nec proponi vel arengari dimictere, directo vel per oblicum, dispensatione facta vel non facta, sub pena priori predicto periurj et decem librarum bon. pro qualibet vice et cuilibet doctori contravenienti in predictis, vel non servanti predicta, pro qualibet vice periurj et decem librarum bon. et privationis collegij. Que omnes pene aplicari, exigi et dividi debeant, ut supra, et nichilominus ipso iure et facto dum dictus prior accedere velit ad predicta, vel aliquid predictorum, vel firmus steterit in congregatione dicti collegij pro predictis vel aliquo predictorum, sit privatus collegio antedicto. Et elligi debeat novus prior secundum formam superius traditam, et quod super predictis restitutio aliqua non possit fieri dum tamen in primis, ut supra, et non specialiter prohibitis dictus prior aliquid proponere, dicere, facere non possit, nisi adsint personaliter due partes doctorum collegij existentium in civitate bon. Et quod prefati doctores non possint se congregare sine mandato dicti prioris, vel subrogati loco eius, ut supra, sub pena cuilibet doctorj predicta non servanti quinque librarum bon., exigenda per dictum priorem. Mandantes quod omnia et singula contenta in volumine presentium constitutionum, prout scripta sunt, in qualibet sui parte debeant inviolabiliter per priorem dicti collegij vel subrogat[um], ut supra, qui pro tempore fuerit, observari, et per quemcumque doctorem dicti collegij prelibati observari, sub penis in dictis constitutionibus contentis. Adhicientes etiam in predictis quod ubi voces essent equales alicuius partiti facti inter doctores, ut supra, tunc dictus prior possit et valeat gratificarj cui parti voluerit, et parti cui gratificaverit stari debeat modo et forma predictis. Et quod dominus potestas Civitatis bon. teneatur et debeat dare favorem et auxillium dicto priori in omnibus penis exigendis per dictum priorem vel massarium, aut cui comissum fuerit, vel exigere debeat. Mandantes etiam quod dictus prior omnes penas pecuniarias exigere debeat infra [503] mensem a die condemnationis, si tempus eidem adierit, alias prior sequens teneatur exigere ante mensem, a principio sui offitij incipiendo, sub pena dupli condemnationis, et quod nulla quantitas dicte pecunie vel alicuius condemnationis, possit per ipsum distribuj, nisi de consensu omnium doctorum seu duarum partium, scrutinio tamen prius inter eos celebrato, sub pena periurj et dupli dicte quantitatis pecunie contrafacienti. Prohibentes et expresse mandantes quod nullus ex doctoribus dicti collegij possit et valeat comictere vocem suam pro aliquo partito ponendo in dicto collegio inter eosdem doctores quacumque de causa. Et quod nullus ipsorum doctorum debeat admicti ad dandum aliquam vocem seu fabam in dicto collegio, nisi presens fuerit, sub pena priori dictam vocem admictentj decem ducatorum auri, dicto collegio aplicanda pro qualibet vice; et nichilominus ipsa vox in dicto partito pro nichil reputetur.

### **De iurisdictione consiliariorum – Rubrica [III].**

Item statuerunt, providerunt et ordinaverunt quod prior nullam postam vel aliquid aliud possit proponere tempore sui offitij in dicto collegio, nisi primitus illud talem proponendum deliberaverit et obtinuerit inter omnes consiliarios, vel maiorem partem eorum, et sic proponatur, et de hoc constare debeat scrutinio notarij dicti collegij, alias talis propositio et posta, etiam si a toto collegio fuerit o[b]tenta, non teneat et ipso iure sit nulla, et quicquid ex ea fuerit secutum; et prior sic proponens sit periurus et privatus omni honore dicti collegij et cadat in penam viginti quinque librarum bon., aplicandarum dicto collegio.

**De modo et forma conservandi studium in civitate bononie circa sedem ordinariam in  
medicina, et de presentatione ad privatum vel publicum examen fiendum per doctores, et quod  
nullus possit disputare sine licentia prioris, nisi sit doctor – Rubrica [V].**

Considerantes quod propter lecturam ordinariam in medicina attributam doctoribus nostri collegij, et continuatam per eos, studium medicine in civitate bononie est auctum et conservatum, statuimus et firmamus quod ipsum Collegium et doctores eiusdem collegij vinculo sacramenti ab eis et quolibet eorum prestandi, teneantur facere et curare, quantum in eis et eorum fuerit possibilitas, quod doctores medicine civitatis bononie, et maxime nostro collegio agregati, legant et presint lecture ordinarie de mane, ut moris est et fuit per tempora longiora, cuius initij memoria in contrarium non habetur. Et quod ipsi doctores collegiati, ut supra, tantum, et nullus alius, presint lecture ordinarie supradicte, vel legat ordinarie de mane. Et quod per aliquem quovis modo, colore vel causa, non possit vel debeat aliquis doctor civis bon. impediri, neque ab ipsis doctoribus collegiatis removeri predicta sedes ordinaria. Et ad huiusmodi conservationem teneantur dicti doctores et collegium prestare auxilium, consilium et favorem ac iuvamen pro premissorum efficacitiam et observatione, silicet quod si contingat, quod deus advertat, aliquem nostrum doctorem, ut supra, quovis modo impediri vel molestari in dicta lectura, vel aliquem alium doctorem forensem velle legere ordinarie de mane, vel preponi ipsi [504] lecture quovis modo vel colore, ad eius instantiam vel non, teneantur omnes doctores dicti collegij toto posse resistere, et quibuscumque modis, etiam per desistentiam a lectura dictorum doctorum civium, et desistentiam a cura infirmorum, et consillio dictorum doctorum in quibuscumque casibus emergentibus in civitate bononie. Et prior, qui pro tempore fuerit, vel alius eius locum tenens, tunc teneatur mandare predictas desistentias et alia quecumque viderentur expedire pro observatione predictorum, sub pena ipsi priorij vel eius locum tenenti, privationis collegij et quingentorum florenorum aurj, aplicandorum pro tercia parte comuni bon., et pro alia tercia parte collegio antedicto, et pro reliqua tercia parte Domino potestati bon. Et ipse dominus potestas ex officio ipsius, teneatur dictam penam, ut supra, exigere facere et executioni mandare. Et nichilominus ipso iure facto sit privatus a dicto collegio et ad eandem penam teneatur quilibet doctor ei non parens in predictis mandatis desistentiarum, vel aliqua causarum.

Volumus etiam quod quilibet forensis examinandus, antequam admictatur ad privatum examen, iurare teneatur tempore presentationis de ipso fiende priori, in manibus prioris, qui pro tempore fuerit, vel officium prioratus gerentis, vel alterius cui prior vel eius vices gerens comiserit, de non legendo ullo tempore sponte vel coacte cum alicuius mandato vel sine, in medicina de mane ordinarie in civitate bon., vel lecturam de mane suscipere directe vel indirecte, nec non similiter iurare de non procurando vel actentando agregarij collegio predicto vel in eo assumi, et de non presentando ullo tempore per se vel alium, aliquem scolarem ad aliquod examen privatum vel publicum fiendum in scientia medicine et non tradendo per se vel alium ullo tempore alicui promovendo ad doctoratum in dicta scientia medicine in ipsa civitate bononie librum, vel insignia aliqua doctoratus, et de non exercendo actum aliquem de predictis, vel aliquem alium, pertinentem ad doctores collegij tantummodo, sponte vel coacte, cum alicuius mandato vel sine, ut supra, sub pena quingentorum florenorum aurj a quolibet et qualibet vice exigenda et comittenda quociens contrafactum fuerit et aplicanda, ut supra. Que pena applicanda collegio remicti non possit directe vel per oblicum. Que omnia collegium et doctores dicti collegij effectualiter et precise observare debeant, ut supra. Teneatur autem dictus forensis presentandus, ut supra, iurare, ut supra, de non veniendo ad publicum vel recipiendo aliqua insignia doctoratus, prius alibi quam in Civitate bononie, et etiam teneatur dictus examinandus iurare de non faciendo nec veniendo contra aliquam nostrarum

constitutionum. Providentes etiam quod contra predicta vel aliquid predictorum non possit arengari, consulli vel fieri aliqua dispensatio, suspensio, annullatio vel revocatio modo aliquo, causa vel colore. Et si contingeret per aliquem vel aliquos predictorum arengando, consulendo, proponendo vel consentiendo tacite vel expresse, aut perveniendo ad aliquem actum, per quem predicta, vel aliquid predictorum, peterentur o[b]tinerentur vel o[b]tinere possent, directe vel per obliquum, ipso iure incidat in penam quingentorum florenorum auri, comictenda et applicanda, ut supra. Et nichilominus talis contrafaciens omni honore, iure et comodo dicti collegij ipso iure et facto sit privatus perpetuo, in quo numquam possit congregari. Verum autem civem civitatis bon. et verum bononiensem intelligimus, qui sit vere et naturaliter civis bon. originarius, origine propria et paterna vel propria et avita, vel propria et proavita. Propriam autem debeat vere probari, ut in principio, sub [505] Rubrica *de personis que possint esse de collegio* habetur. Que probatio fiat et fieri debeat coram priore collegij, qui pro tempore fuerit, nec non et duobus doctoribus de antiquioribus dicti collegij presentialiter ad hoc electis et deputatis per collegium antedictum. Qui antiquiores sint secundum ordinem dicti collegij. Qui prior et duo doctores predicti simul omnes recipiant probationes predictas [et] per se tantum et fideliter et diligenter advertant, sub vinculo iuramenti, ne aliqua fraus comictatur, et si ipse, vel aliquis alius doctor dicti collegij, sciret vere, presuntive, vel probabilliter aliquam fraudem comicti, teneatur statim notificari dicto priori dicti collegij vel eius locum tenenti. Qui prior vel eius locum tenens, teneatur statim ipsi collegio et doctoribus ipsius notificare, ut ipsi provideant omnibus modis et remedijs, ne fiat fraus aliqua, tenendo in secreto nomen doctoris, qui hoc notificaverit, si ipse doctor voluerit, sub pena cuilibet doctori non notificanti, ut supra, ducentorum florenorum auri applicandorum, ut supra, et per notarium collegij probationes et alia in actis reducantur. Qui prior et alij duo doctores antiquiores ante omnia iurent corporaliter ad sancta de evangelia, in predictis remoto odio, amore, timore, prece vel pretio, se dictas probationes legaliter et fideliter audire et recipere secundum quas eum civem vel non civem quo ad predicta pronuntiet et pronuntiare teneatur prior collegij, secundum relationem dictorum doctorum, si concordantes fuerint, alias prout maior collegij pars fuit. Que pronuntiatio et declaratio fiat in presentia totius collegij vel maioris partis doctorum eiusdem. Cui pronuntiationi stetur, nec contra ipsam quoquomodo fieri possit aut disponi, sub pena periurij. Adhuc etiam quod nullus possit disputare in physica nec in cyurgia, nisi prius o[b]tenta licentia a priore collegij medicine pro tempore existenti, nisi sit doctor medicine, sub pena cuilibet contrafacienti arbitrio dicti Prioris auferenda.

### **Quid teneantur observare doctores de collegio medicine tam in eorum habitu quam in ipsorum incessu – Rubrica [VJ].**

Providemus et ordinamus quod quilibet doctor collegij medicine teneatur incedere in habitu honesto et in habitu condecienti honori et statui doctoratus. Et quod semper quilibet doctor dicti collegij teneatur ad publicam cuiuslibet promovendi in sancto petro deferre caputem vario foderatum, vel siricho, et similiter ad exequias alicuius doctoris nostri collegij, nisi fuerit tempus pluvie vel caloris vel nisi aliter fuerit ei per priorem dicti collegij preceptum vel ordinatum. Et si aliquis in aliquo predictorum contrafecerit, ipso facto incurrat in penam decem soldorum bon., applicandorum collegio pro quolibet eorum et qualibet vice. Et quod nullus doctor nostri collegij possit transire limites sue habitationis per treginta pertichas, sine uno socio pedestre vel equestre, sub pena xx soldorum pro qualibet vice applicanda, ut supra.

### **Quid teneatur facere volens aliquem scolarem presentare in medicina – Rubrica [VIJ].**

Statuimus et ordinamus quod quilibet doctor, qui vult aliquem scolarem presentare ad publicum vel privatum examen, debeat esse de dicto numero colegiatorum quindecim vel de supernumerarijs succedentibus loco dicatorum incorporatorum et collegiatorum ratione absentie incorporatorum, et debeat, sub eius conscientia, inquirere, antequam [506] aliquem scolarem presentet, de vita et honestate dicti scholaris presentandi, et ipsum examinare privatim in domo propria; quibus factis, in presentatione iuret ad sancta de Evangelia, in manibus domini prioris, quod credit scolarem, quem presentat, esse idoneum et sufficientem ad examen publicum et privatum, secundum eius conscientiam; tunc presentet eum domino Archidiacono, vel alio seu alijs, ad quem seu quos, dictum officium pertineret, et subsequenter priori collegij iuxta morem consuetum, cum tamen presentare non valeat aliquem scolarem forensem minorem viginti annis, nec aliquem scolarem qui non audiverit in medicina saltim quinque annis, vel ex comuni fama doctorum constet ipsum in artibus fore sufficientem; et si fuerit licentiatum in artibus quatuor annis et non legerit cathedraliter aliquem tractatum seu libellum in medicina, et qui non responderit seu disputaverit in scolis duas questiones generales vel unam questionem generalem et unum quo[d]libet, de quo tempore credatur sacramento scholaris, prestando in manibus prioris dicti collegij vel alterius, de mandato prioris predicti, si de contrario non sit fama. Et tunc teneatur scholaris fidem facere de predictis, et in die examinationis teneatur dictus doctor ire ad domum dicti scholaris, et eum iterum examinare, et audire ipsum super lectionem eidem in punctis assignatam. Et quod prior dicti collegij non debeat, tempore presentationis fiende de dicto scolare, assignare diem, nec eum recipere, nec convocare collegium predictum et doctores pro dandis punctis eidem, nisi primo et ante omnia prestitum sit sacramentum per scolarem forensem, presentatum priorj dicti collegij presenti, vel alteri per dictum priorem substituto, de non veniendo contra collegium antedictum et constitutiones ipsius collegij directe vel per oblicum. Et quod si contingeret recipere publicam, quod eam recipiet in civitate bononie et non alibi. Et quod super hoc non petet dispensationem nec petita utetur, et quod non petet, vel peti faciet, per se vel alium, aliquo modo vel ingenio, se poni vel agregari in collegio antedicto nec admissus quoquomodo accedet ad dictum collegium. Alias nullus de dicto collegio audeat vel presumat accedere ad dicta puncta danda dicto scolari nec interesse examinationi private vel publice ad penam et sub pena cuilibet doctori contrafacienti, et pro qualibet vice, periurj et viginti quinque librarum bon. collegio antedicto aplicandarum, et exigendarum per priorem antedictum, qui pro tempore fuerit. Et quod prior collegij predicti, qui negligens fuerit in exactione pene predictae, similem penam incurrat, aplicandam et exigendam, ut supra. Adhucientes quod nullus doctor dicti collegij possit aliquem presentare ad publicum vel privatum examen, nisi primo et ante omnia solverit condemnationes in quibus reperiretur condemnatus.

#### **Qualiter prior non possit ponere partitum unius rei, nisi semel tantum – Rubrica [VIIJ].**

Quia propter importunitatem pectentium multa inconvenientia aliquando conceduntur et consecuntur, que non concederentur, et sic unde debet ius oriri, oppositum aliquando consequitur, presenti morbo obviare volentes, hac constitutione decernimus et firmamus, quod quocienscumque contigerit de ceptero aliquam fieri postam in collegio predicto super quacumque re vel facto, que non fuerit admissa, amplius non possit proponi, [507] per ipsum priorem nec super ea, aut contentis in ea, consulli aut arengari tempore sui prioratus, vel per alium quemcumque subrogatum, vel subrogandum loco ipsius prioris, pena contrafacienti viginti quinque librarum bon. et privationis officij sui prioratus pro qualibet vice, et cuilibet alteri doctori contrafacienti decem librarum bon. pro quolibet et qualibet vice. Et nichilominus quicquid fuerit firmatum contra formam predictam, dispensatione facta, vel non facta, ipso iure et facto sit capsum et vanum, nisi per totum collegium, nemine discrepante, fuerit dispensatum quod iterato possit proponi.

**Qualiter convocari debeant doctores collegij medicine, in quo loco et in quibus diebus –  
Rubrica [VIII].**

Hac nostra constitutione presenti firmamus quod doctores nostri collegij congregari et convocari debeant in ecclesia cathedrali civitatis bon., quodocunque convocandi fuerint per priorem dicti collegij, aut per alium eius nomine subrogatum, seu pro parte ipsius prioris vel subrogati vel alibi, dum tamen non convocent diebus pasqualibus, dominicis corporis et sanguinis Christi, assumptionis Beate Marie, diebus apostolorum, sancti Petronij sancti floriani, sancti Johannis Baptiste et sancti Laurentij, nisi ex causa necessaria fiat congregatio, que arbitrio prioris et consiliariorum consideretur. Et unus quisque doctor, qui vocatus fuerit, debeat interesse, nisi impeditus fuerit iuxta et rationabili causa, sub pena contenta in constitutione, posita sub Rubrica *de electione novi prioris*; collegium aut[em] ipsum congregari volumus ex causis permissis et concessis in nostris constitutionibus et ex alijs licitis et honestis. Ex prohibitis vero causis nullo modo possit congregari, sub pena contentis in nostris constitutionibus et statutis.

**De ensenio fatiando doctorj et priorj qui promovet scolarem in privato et publico examine –  
Rubrica [X].**

Constituimus et ordinamus quod quilibet doctor nostri collegij antedicti, volens presentare scolarem subiciendum examini alicui privato, teneatur et debeat curare et facere cum effectu, et omni exceptione remota, quod scolaris per eum presentandus faciat Bidello depositum in pecunia, ita quod statim presentet, finito examine, priori collegij qui pro tempore fuerit, loco ensenij vini et confectionum, unum ducatum aurj doctori, et similiter priori in examine in publica, loco anulli, libam unam et soldos decem bon., biretum et cirotecas valoris decem soldorum bon. Et in publica eadem similiter doctorj, seu doctoribus, sub quo, vel sub quibus, fuerit promotus, et doctori qui in eius publica pro licentia sermonem generalem fecerit, solvere teneatur soldos quadraginta bon. Et si dicto priori dictum exenium non fuerit sibi presentatum, ut supra dictum est, quod doctor presentans teneatur exenium sibi presentare domino priori, et transmittere de suo, vel simile infra duos dies, post examinationem scolaris; et nichilominus incidat in penam soldorum centum bon. Mandantes quod contra predicta vel aliquid predictorum, in presenti constitutione descriptorum, perpetuo dispensari non possit, sub pena periurij, et nichilominus, si contrarium fieret, ipso iure sit nullum.

**Quod nullus possit legere de mane medicinam nisi sit verus bononiensis ut supra – Rubrica  
[X].**

[508] Statuimus et ordinamus quod doctores bonon., ut supra, possint legere in scientia medicine Civitatis bononie quacumque hora libros ordinarios, ordinatos et ordinandos per eos ad quos spectat, horis consuetis, prout de eorum processerit voluntate. Et quod dicti doctores, vel aliquis eorum, non audeant vel presumant loco eorum, vel alterius eorum, subrogare aliquem ad legendum, vel permictere legere ordinarie dictos libros in medicina scientia, qui non sit collegiatus, ut supra, nec patiat quod aliquis subrogetur, vel pro eo legat, sub pena decem librarum bon. Quam penam si non solverit infra octo dies post mandatum domini prioris, ipso iure et facto sit privatus, et esse intelligatur, de collegio, donec solverit dictam penam, et quod nullus, qui non sit collegiatus, ut supra audeat vel presumat legere in dicta civitate

de mane dictos libros. Et quod doctores procurent toto posse suo, quod constitutio presens inviolabiliter observetur.

**De modo et forma eligendi notarium et bidellum collegij, et quid notarius et quid bidellus  
facere teneantur, et de ipsorum salarijs – Rubrica [XI].**

Cum insurgat necessitas, propter peragenda negotia dicti collegij, notarium specialem et bidellum specialem habere, qui officia limitata habeant et habere debeant, et cum omnis labor optet premium, h[a]c nostra constitutione providemus et ordinamus et firmamus quod in quacumque ellectione fienda de notario et bidello antedicti collegij, hic modus et forma debeat observari, videlicet quod dominus prior collegij, qui pro tempore fuerit, post mortem vel capsationem notarij presentis vel bidelli vel alterius notarij vel bidelli, qui pro tempore fuerit, infra terciam diem debeat notificare et intimare doctoribus dicti collegij et in dicto collegio, qualiter necessarium et oportunum est procedere ad ellectionem notarij novi, seu bidelli, secundum quod casus acciderit. Et quod quilibet doctor, qui sciret vel cognosceret aliquem idoneum vel sufficientem ad dictum officium vacans exercendum, debeat nomen, pronomen, et cognomen in scriptis dare dicto domino priori, dum tamen talis sit homo bone conditionis et fame et civis civitatis bon., origine propria et paterna et maior xxv annis, bonus, sufficiens et ydoneus notarius in societate notariorum civitatis bon. descriptus ante per quinque annos, et artem notarie bene et legaliter publice exercuerit et exercent. Et bidellus sit civis civitatis bon., ratione originis proprie, et homo bone conditionis, vite et fame et legalitatis et maior viginti quinque annis, sub pena, doctori danati nomen alicuius contra formam predictam, viginti soldorum bon., a qua pena ratione ignorantie aliquo modo se non valeat excusare, retinenda per priorem subsequentem vel eius vices gerentem, et dividenda inter dictos doctores. [Qui dominus Prior, infra octo dies post notificationem predictam, teneatur et debeat, sub pena quinque librarum bon., retinenda per priorem subsequentem], facere congregari collegium antedictum, et in dicta congregatione publicare omnia nomina sibi data in scriptis per dictos doctores vel eorum alterum, et proponere quis eorum videtur dicto collegio [509] et doctoribus sufficientior et ydonior ad dictum officium vacans exercendum. Et ille qui plures voces habuerit, secundum quod fit in ellectione prioris, sit et esse intelligatur dicti collegij officialis, et ad dictum officium, de quo agitur, exercendum, et ellectio, que reperiatur facta contra vel preter formam predictam, et de persona que non sit conditionis et qualitatibus predictarum, iure ipso sit nulla. Ac etiam comoditatem aliquam vel benefittium participare non valeat neque possit notarius et bidellus ellectus contra predictam formam. Ac etiam notarius et bidellus, qui nunc est, teneatur iurare in manibus domini prioris, qui pro tempore fuerit, ad omnem requisitionem dicti domini prioris, eorum offitia bene, dilligenter et solcite, et sine aliqua fraude vel malitia exercere et administrare et parere et obedire idem domino priori et doctoribus collegij antedicti in hijs, que spectant ad eorum offitia, [nec] non in omnibus licitis et honestis. Offitia vero dictorum notarij et bidelli volumus esse in hac forma, videlicet quod notarius dicti collegij, qui nunc est, vel pro tempore fuerit, teneatur et debeat scribere et in publicam formam redigere in cartis pecudinis et edinis omnes presentes constitutiones, et de ipsis facere duas copias, quarum una claudatur et sigilletur sigillo collegij dictorum doctorum, et deponatur ad perpetuam rey memoriam ad cameram actorum civitatis bon.; alia vero remaneat et remanere debeat penes notarium dicti collegij, vel penes priorem dicti collegij, qui pro tempore fuerint, et continue ad requisitionem prioris, qui pro tempore fuerit, una cum doctoribus dicti collegij interesse. Et scribat in libro suo, quem penes se debeat retinere, omnia et singula actanda et fienda per dictum dominum priorem et doctores ipsius collegij ad dictum collegium spectantia et pertinentia, et loca congregationum, annum et mensem et diem; et fabas [debeat] dare albas et nigras dictis doctoribus quando partita ponuntur per dictum priorem, et habere unum busullum, in quo debeant poni et stare fabe, que dantur per prelibatos doctores. Quem busullum debeat habere et retinere in manibus dictus

notarius vel bidellus collegij antedicti. Et postquam fabe fuerint numerate per priorem collegij antedicti, vel eius vices gerentem, scribere numerum dictarum fabarum et quicquid optentum fuerit in dicto collegio scribere, et redigere omnia que fient. Et etiam scribere omnes electiones prioris dicti collegij et officialium ipsius ad omnes et singulos actus congregationis et congregationum factos et fiendos, et gestos et gerendos per priorem predictum et collegium; et subscribere in dicto libro, prout processerit de voluntate dicti domini prioris et doctorum, et generaliter omnia et singula facere et exercere, que videbuntur utilia et necessaria et oportuna fieri pro collegio prelibato et doctoribus ipsius, iuxta ipsius notarij possibilitatem. Bidellus vero predictus eo modo et forma teneatur et debeat, ad requisitionem prioris qui pro tempore fuerit, collegium dictorum doctorum et doctores ipsius collegij requirere ad congregationes fiendas. Et ibidem interesse continue in horis sibi impositis et iniunctis et iniungendis, et imponendis et iniungendis per dictum priorem, et ad omnem locum accedere, una cum dicto priore et collegio doctorum ipsius, tociens quociens fuerit necessarium et oportunum, ad omnem alium locum pro libito voluntatis ipsius domini prioris et collegij doctorum predictorum, et generaliter omnia et singula facere, dicere et exercere et adimplere ac cum effectu mandare, que fuerint sibi iniuncta, ut supra. Et condempnari possit vel possint, notarius et bidellus, et quilibet ipsorum [510] per priorem, qui pro tempore fuerit, incontinenti post quinque dies, videlicet notarius usque ad quantitatem viginti soldorum bon., nisi aliqua iusta et rationabilis causa intervenerit, que debeat probari vel improbari per dictum priorem una cum duobus consiliarijs dicti collegij; et bidellus in quindecim soldos bon., nisi iusta causa intervenerit, aprobanda, ut supra. Et quod dictus bidellus teneatur associare scolarem doctorandum ad convitandum pro publica pedes vel eques, secundum quod dictus scolaris convitaverit. Salaria autem sua debeant esse tanta in hac forma, videlicet quod notarius et bidellus dicti collegij, qui nunc [sunt], vel pro tempore erunt, et uterque eorum, habeant et habere debea[n]t a quolibet scolari cive libras quatuor bon., a forense vero, cuiuscunque status et conditionis existat, transire volenti ad privatum examen in medicina, viginti soldos bon., et in publica viginti soldos bon. pro quolibet eorum tam civium quam forensium, et quod nullus doctor dicti collegij aliquem ex predictis debeat presentare ad aliquod publicum vel privatum examen, nec aliqua insignia doctoratus dare, nisi prius satisfecerit notario et bidello, prout superius est scriptum, sub pena cuilibet doctorj contravenienti predictis vel alicui predictorum quinque librarum bon. aplicanda collegio antedicto et dividenda, ut supra. Et nichilominus teneatur satisfacere dictis bidello et notario. Et quod prior dicti collegij non audeat vel presumat convitare collegium pro publica vel privata, nec aliquis ex doctoribus dicti collegij interesse examinationi ipsius conventuandi vel examinandi, sub pena quatragesima soldorum bon. priori et cuilibet doctori interessendorum, aplicanda et dividenda, ut supra, nisi satisfactum fuerit dictis notario et bidello, ut superius scriptum est, et hoc pro honore dicti collegij [et] conventuandj.

### **Qualiter prior antiquus teneatur assignare statuta et sigillum priori novo – Rubrica [XII].**

Statuimus, ordinamus et firmamus quod constitutiones et sigillum nostri collegij debeant esse penes priorem dicti collegij, qui pro tempore fuerit, quas constitutiones et sigillum teneatur dictus dominus prior statim in cohadunatione, quam primo fierj fecerit novus prior, reassignare sequenti priori. Et ipsam reassignmentem facere scribi et registrari in actis notarij dicti collegij, ut sic possint esse salve res predicte perpetuo, sub pena decem librarum bon. priori omicenti facere predicta vel aliquid predictorum, exigenda et dividenda inter collegium. Et si contingerit perdi predictas constitutiones et sigillum, teneatur dictus prior, penes quem erant dicte constitutiones et sigillum, infra unum mensem, omni exceptione remota et reiecta, facere exemplare de novo dictas constitutiones ad exemplum illarum, que erunt in camera actorum, omnibus suis expensis, manu notarij collegij prelibati. Et facere fieri sigillum tale, ut est

illud quod habet ad presens dictum collegium, omnibus expensis prioris predicti, qui non ressignaverit dictas constitutiones et sigillum, omni exceptione remota [et] cessante, sub pena viginti quinque librarum bon. exigenda et dividenda, ut supra. Mandantes insuper quod nullus tante temeritatis et audacie sit, quod audeat vel presumat sigillare sigillo dicti collegij aliquam licentiam sine licentia maioris partis doctorum collegij predicti, de qua licentia constet per acta notarij collegij, sub pena perpetue privationis de dicto collegio ipso iure et facto, et nichilominus pena viginti quinque librarum bon. priori collegij, penes quem fuerit dictum sigillum, eidem collegio applicanda.

### **De honore faciendis per doctores collegij quando aliquis doctorum collegij migraverit – Rubrica [XIII].**

[511] Constituimus et ordinamus quod si contingat aliquem doctorem nostri collegij migrare de hoc seculo, et eius corpus sepelli in civitate bononie, vel suburbis, quod dictus prior, qui pro tempore fuerit, teneatur et debeat dictum collegium facere congregari per numptium seu bidellum dicti collegij in loco, seu locis, in quo, seu quibus, eidem domino priori videbitur pro minori incomodo ipsorum doctorum. Qui doctores dicti collegij sic coadunati teneantur dictum dominum priorem sociare ad dictum funus in eundo et redeundo, et tempore quo fit sermo, et a dicto loco et ad dictum locum congregationis, cum capiteis foderatis de vario, nisi ratione pluvie vel caloris aliud suadetur, nisi iusta causa impedimenti, respectu persone vel casus fortuiti, aliquem ex dictis doctoribus excuserit; que causa excusationis preponi et declarari debeat clare et aperte coram domino priore predicto, et approbari vel improbari per dictum priorem; declarationi cuius domini prioris stetur omnino. Adhucientes quod, factis exequijs, prior vel alter ex doctoribus cui mandaverit, heredibus defuncti et eius actinentibus debeat offerre totum collegium et personas doctorum dicti collegij ad omnia eorum grata, et licet non servetur, attamen quod dictus dominus prior teneatur et debeat mandare uni ex doctoribus dicti collegij, quem dicti doctores elegerint, seu de quo fuerint contenti, vel alij ex dictis doctoribus, quem dictus prior elegerit, quod debeat facere sermonem comendando ipsum doctorem defunctum secundum modum actenus observatum ad domum habitationis solite defuncti, post ipsius exequias. Et ille cui sic mandaverit, teneatur obedire dicto domino priori, et dictum sermonem facere, ut supra, sub pena periurij et decem librarum bon. cuilibet contrafacienti et pro qualibet vice, comitenda et exigenda, ut supra. Et si actinentes defuncti predicti non elegerint unum ex doctoribus dicti collegij, tunc dicti doctores non teneantur ire neque stare ad dictas exequias, nisi per priorem collegij aliter fuerit ordinatum. Et si contingat aliquem doctorem dicti collegij non velle facere dictum sermonem, quod, expensis dicti collegij, solvatur uni valenti viro, qui dictum sermonem faciat. Et predicta omnia inviolabiliter observari debeant per omnes et singulos doctores dicti collegij, sub pena ipsi priori, qui fecerit contra predicta vel aliquod predictorum, librarum quinque bon. Et cuilibet alteri doctori librarum trium bon. Quas penas ipsi contrafacientes incurrant, et exigantur et dividantur, ut supra. Idem etiam volumus observari, circa funus patris vel matris, fratris vel filij alicuius doctoris nostri collegij, de sermone, sub eadem pena.

### **De immunitate facta filijs, fratribus et nepotibus doctorum collegij – Rubrica [XV].**

Statuimus et ordinamus quod fratres et filij et nepotes [doctorum] dicti collegij doctorati in dicta scientia, possint per doctores dicti collegij in ipso collegio agregari cum salario decem ducatorum superius posito et ordinato, consueto, etiam numero completo corporatorum et supernumerariorum seu colegiatorum, dum tamen, eo casu quo collegium corporatorum et supernumerariorum seu colegiatorum esset

completum, iusta formam constitutionum de hoc loquentium seu disponentium, ipse filius, frater vel nepos, dicto collegio congregato, per ipsos doctores loco, ordine et privilegijs supernumerariorum habeatur et esse censeatur, non obstante aliqua constitutione iuris contrarium disponente.

**De modo et forma dandi puncta scolari et in quo loco – Rubrica [XV]].**

[512] Item statuimus quod si aliquis voluerit promoveri in medicina, primo convocato collegio medicorum per Bidellum generalem collegij, de mandato prioris per tres dies ante, debeat de mane recipere punta in sancto petro a domino Archidiacono vel eius vicario, et a priore nostri collegij in libro Tegni gal[eni] pro prima lectione, et in libro anphorismorum 2.<sup>a</sup> pro secunda lectione, presentibus omnibus doctoribus aut duabus partibus dicti collegij in loco deputato, sedentibus cum dicto domino Archidiacono vel eius vicario. Et quod nullus doctor medicine sedere debeat in dicto loco, nisi fuerit de collegio medicine, vel loco archidiaconi, etiam cum desistentia a punctis dandis, sub pena cuilibet contrafacienti pro qualibet vice decem librarum bon., et sub pena priori non prohibenti viginti soldorum bon., et cuilibet doctori quinque librarum bon. In vespers vero decretorum, vel alia hora ordinata, veniat ad examen ad locum deputatum in sancto petro, et primo legere debeat pro prima lectione testum totum punti dati libri tegni galeni, deinde bene dividendo, verificando et exponendo testum sine instantijs; et similiter de secunda lectione anphorismorum ipocratis. Salvo quod comentum galeni solum exponendo et dividendo procedat. Lectis lectionibus, arguant doctores seriose et ordinate, incipiendo a iuniori in collegio usque ad ultimum senioresem donec omnes dixerint, excepto doctore vel doctoribus presentantibus, vel sub quo vel quibus promovetur. Et hoc tam super prima quam super secunda lectione, et etiam aliquid liceat alicui libere doctori impertinenter arguere in praticha si placuerit. Et cum unus doctor arguat debeant omnes alij sub silentio paciffice alium audire, et scolarem sic respondentem unus alium non impediatur. Qua responsione tradita, possint, si velint, de narratis et dictis similiter conferre. Et prior habeat potestatem impone[n]dj silentium quandocumque placuerit, sub pena cuilibet contrafacienti duodecim soldorum bon. Quibus peractis et completis, absentibus scolaribus et doctoribus, presentante seu presentantibus, debeant doctores eorum intencionem scribere secrete in una cedulla, et quilibet eorum suo sacramento, et illam porigere domino Archidiacono vel vices eius tene[n]ti. Insuper etiam teneatur quilibet doctor dicti collegij ad mandatum domini prioris, qui pro tempore fuerit, incontinenti dare in secreto aprobationem cum faba alba, et reprobationem cum faba nigra notario vel bidello dicti collegij, ut domino Archidiacono tradiderint in scriptis vel eius vicario. Et quod notarius vel bidellus sub pena prestiti sacramenti et privationis offitij et decem librarum bon. debeat relapTIONem facere incontinenti domino priori et toti collegio de aprobatione vel reprobatione dicti scolaris secrete cum ostensione etiam fabarum, et notarius teneatur ponere in scriptis in quaterno deputato. Et si quis contra predicta vel aliquod predictorum contrafecerit, condempnetur de facto per dictum priorem collegij, prout sibi videbitur, usque ad quantitatem centum soldorum bon. ad plus; que pena dividatur inter doctores dicti collegij.

**Quod nullus doctor nostri collegij nisi presentans, possit associare scolarem ad examen – Rubrica [XVI]].**

Statuimus et ordinamus quod nullus doctor nostri collegij possit vel debeat associare aliquem scolarem civem vel forensem ad privatum examen in medicina, nisi essent doctor vel doctores presentans vel presentantes, nisi presentatus sit Rector universitatis [513] scientie medicine, et nisi scolaris predictus foret filius, vel frater, vel nepos alicuius doctoris nostri collegij, quibus casibus possint tunc doctores accedere ad dictum examen predicti scolaris, vel nisi natus est de domo, vel progenie ex aliquo de domo, vel progenie alicuius doctoris nostri collegij, quo casu ille doctor seu doctores de dicta progenie possit,

vel possint, sociare dictum scolarem. Et quod doctores dicti collegij petant licentiam a domino priore, si volunt asociare eum, sub pena viginti soldorum bon., nisi in casibus predictis, cum hoc sit contra honorem collegij et dampnosum scolari propter expensas quas oportet facere occasione predicta.

#### **De licentia danda scolaribus – Rubrica [XVII].**

Statuimus et ordinamus quod nullus scolaris examinatus in scientia medicine possit eadem die, qua examinatus fuerit, licentiam publicam habere in dicta scientia, nisi fuerit Rector universitatis, vel filius, frater, vel nepos alicuius doctoris nostri collegij. Et tum, et eo casu, ille talis teneatur satisfacere, et facere depositum de centum ducatis aurj, eadem die qua examinatus fuerit, priori collegij, qui pro tempore fuerit. Et quod infra duos menses suas dignitates capiet in civitate bon., ita tamen quod nullus doctor nostri collegij possit pro ipso scolari licentiando fideiubere, ad penam viginti quinque librarum bon. ipsi doctori fideiubenti; que pena debeat infra mensem per priorem exigi et inter doctores nostri collegij dividi. Ita tamen quod fideiussor, qui dictum depositum confitebitur se habere ad instantiam dicti prioris, sit merchator vel alia persona sufficiens, de cuius sufficientia constet nostro collegio et domino priori. Adhicientes quod quilibet scolaris promovendus, civis vel forensis, possit accipere doctorem vel doctores quos voluerit: dignitates autem recipere debeat et teneatur publice in cathedra magistrali ecclesie bon. secundum ordinem consuetum.

#### **Quantum panum dare debeat scolaris doctorj in eius publica et quanti pretij – Rubrica [XVIII].**

Statuimus et ordinamus quod quilibet scolaris promovendus in scientia medicine teneatur, tempore sue publice, vel in sua publica, dare doctori, sive doctoribus, sub quo, vel quibus, fuerit promotus, ipsi et cuilibet ipsorum, decem brachia panni valoris quatuordecim soldorum bon. ad minus pro quolibet brachio. Intelligatur autem de eodem panno de quo dictus doctorandus in sua publica se induet, ita tamen quod dictus doctor, sive doctores, predictus vel predicti, teneantur se de ipso panno induere cum predicto scolari vel scolaribus predictis. Et si contingat eum promoverj per duos doctores vel plures, non possit induere unum sine alio. Et teneantur omnes tales induere de eodem panno; declarantes quod nullus doctor presentans possit venire ad sanctum petrum indutus cum doctorando ad publicam alicuius doctorandi, sine alio vel alijs presentantibus, inductus, vel inducti, in casu in quo non esset plene illi alteri doctori vel alijs doctoribus presentantibus satisfactum per doctorandum, secundum formam ipsarum constitutionum, sub pena cuilibet doctori contrafacienti viginti quinque librarum bon., exigendarum et applicandarum, ut supra, et privationis collegij; a qua privatione non possit restitui, nisi prius satisfecerit doctori, vel doctoribus, sub quo, vel quibus, fuerit [514] promotus doctorandus. Qua satisfactione facta, possit reponi, cum consensu maioris partis collegij, ad dictum collegium, scrutinio celebrato cum fabis albis et nigris. Et quod dictus promovendus in eius publica teneatur satisfacere doctori, vel doctoribus, sub quibus promovetur, de salario eis statuto in dicta publica, ut supra. Adhicientes quod si contingat aliquem ex doctoribus nostri collegij, de hijs qui scolarem presentaverint, absentem esse, de cuius reatu non speretur infra quindecim dies qua promovendus publice priori collegij predicti dixerit se publice velle promoverj, vel defunctum, dum tamen non sit absens alicuius cure occasione vel infirmitatis, aut reu publice causa, quod tunc, et eo casu, scolaris predictus promovendus solvere teneatur collegio predicto libras decem bon., distribuendas inter doctores dicti collegij loco absentis vel defuncti; si vero pro suo honore induere voluerit unum ex doctoribus dicti collegij, aut plures, sub quo, vel quibus, fuerit promotus loco absentis vel absentium, tunc et eo casu teneatur dare illi doctori, vel illis doctoribus, cui vel quibus voluerit, octo brachia panni pretij soldorum quatuordecim bon. ad minus pro quolibet brachio et pro

quolibet doctore. Qui doctor sic indutus loco defuncti vel absentis, solvere teneatur dicto collegio libras sex bon., loco absentis presentantis scolarem predictum, vel defuncti.

**De privilegijs concessis rectoribus, et quantum rector solvere teneatur doctoribus in eius examine et conventu – Rubrica [XX].**

Pro honore Rectoris scholarium universitatis et honore dicte universitatis medicorum, et reconpensatione expensarum eiusdem, statuimus et firmamus quod de cetero quicumque fuerit Rector dicte universitatis, qui dictum officium rectoratus per tempus et spatium octo mensium ad minus exercuerit, volens promoveri in scientia medicine in nullo teneatur salario doctoribus collegij medicorum in eius privata et publica, non obstante statuto posito sub Rubrica *quid et quantum debeant solvere scolares in privata et publica* etc.; salvo quod pro expensis factis et fiendis in dicto collegio volumus ipsos teneri debere solvere ducatos duos aurj collegio medicorum, dispensandos inter doctores dicti collegij in privata dictorum rectorum, et in eorum publica solvere teneatur solum pro dignitatibus doctoribus collegij libras sex bon. Et hoc propter labores et tedia quos substinent doctores tempore quo dicta insignia prestantur, et propter perdicionem temporis et incomodum infirmorum, quos habent visitare dicti doctores. Et quod quilibet magister vel magistrj, sub quo vel quibus, tales rectores promoventur, qui fuerit, vel fuerint, vestitus, vel vestiti, et inducti de eodem panno, vel consimili, de quo, vel quibus, induti erunt Rectores in eorum publica, solvere debeant collegio medicorum occaxione predicta ducatos duos auri pro quolibet eorum. Ita tamen quod nullus illorum dicto salario participet; volumus tamen dictos rectores tenerj debere pro ipsorum honore ad exenia prioris et doctoris vel doctorum, sub quo, vel quibus, fuerit promotus, et ad solutionem notarij et bidellj collegij medicine, secundum formam constitutionum de hoc loquentium. Adhicientes quod in casu, in quo rector universitatis medicine sit, vel fuerit, contra statuta, vel honores, collegij antedicti, vel doctorum dicti collegij, vel alicuius dictorum doctorum, non debeat gaudere privilegijs, vel privilegio rectoratus, et ipso facto ipso benefificio, privilegio, seu privilegijs, sit privatus.

**Quod nullus possit nec audeat mederi in phisica nec cirusia sine licentia, nisi sit descriptus in matricula, et de matricula fatienda – Rubrica [XXJ].**

[515] Advertentes quod, cum ipse homo intellectu et bonitate participet, deo amantissimus esse videtur (aristotilles, Ethicorum decimo) et plus ceteris universi ipsi deo et superioribus intelligentijs red[d]atur uniformis, cum ad eius ymaginem sit creatus, qui est subiectum circha quod scientia medicine versatur, cuius proprietates et passiones considerans plus ceteris scientijs (Avicena, prima primi de subiectis medicine), ut etiam tollantur scandalla bonorum medicorum et evitentur periculla graviora, que circha tale nobilissimum subiectum per ignaros medicos actenus sunt secuta, volumus inviolabiliter observari quod nullus forensis, vel civis, sive [cuiuscunque] conditionis existat, audeat, vel presumat, exercere, vel operari, praticam medicine tam physice quam cyrusie, vel aliquam partem ad dictam scientiam medicine spectantem in civitate, comitatu, vel districtu bon., nec consilium dare in dictis scientijs alicui, nisi fuerit et sit matriculatus, et in matriculla dicti collegij cum eius nomine et pronomine positus et descriptus. Quam matricullam fieri volumus et mandamus ac scribi per unum ex notarijs dicti collegij, temporibus debitis, per ordinem inferius in fine nostrorum statutorum penes priorem, vel [aliquem], nomine dicti collegij pro tempore existentium, nisi fuerit examinatus, licentiatus et aprobatu per doctores phisice facultatis civitatis bon., vel alicuius alterius studij famosi, de quo plenam facere teneatur et debeat fidem priorj nostri collegij et consiliarijs eiusdem per priorem collegij civitatis famose in qua studuerit, vel statim

per testes fidedignos, vel nisi habuerit licentiam a doctoribus nostri collegij, sub pena cuiuslibet contrafacienti, pro qualibet vice centum librarum bon. in physica, et in cirusia quinquaginta librarum bon., aplicanda pro tertia parte domino potestati, pro alia tertia parte ecclesie sancti petronij, et pro alia tertia parte doctoribus collegij nostri. Adhicientes quod quilibet possit accusare contrafacientes quoslibet publice vel private, et habeant de dicta pena libras quinque bon. in quantum dicta pena exigatur. Et pro tertia parte veniat ad doctores dicti collegij; et prior nostri collegij, qui pro tempore fuerit, teneatur et debeat inquirere de predictis, et delinquentes punire, multare et condempnare usque ad predictam quantitatem centum librarum bon.; et per notarium dicti collegij dictam multam vel condempnationem ad discum ursi, et officialibus eiusdem, in publica forma assignari facere, sub pena decem ducatorum auri dicto priori, qui predicta non fecerit aut neglexerit, aplicanda dicto collegio et doctoribus eiusdem. Insuper etiam statuimus quod nullus cuiuscumque facultatis existat, audeat nec presumat vendere, administrare quovis modo aliquam medicinam simplicem vel compositam, lapsativam in omni genere lapsandi, opiativam vel soniferam, digestivam, causticam vel corusivam, stupefactivam aut venenosam in omni genere venenorum, abortivam, vel quomodolibet aliter perniciosam, nisi de voluntate et consensu doctorum dicti collegij, et precepto prioris cum uno de correctoribus societatis apothecariorum, sub pena cuiuslibet contrafacientij pro qualibet vice librarum quinquaginta bon. exigenda et aplicanda, ut supra; nichilominus tribuens puniatur secundum formam iuris [516] ubi aliquod accidens, vel morbus, occurreret ex tali receptione. Et quod quilibet possit accusare publice vel private, et habeat de dicta pena quinque libras bon., ut supra dictum est. Insuper teneatur antiquus prior, et cum effectu adimpleat, tempore electionis alterius prioris, per notarium dicti collegij facere legere totum hoc statutum et priorem noviter electum iurare in manibus antiqui prioris quod diligenter et fideliter observabit hoc statutum; quod si deneget, transeat ad electionem alterius prioris qui predicta promictat observare, et similiter [de] pec[unijs] que debentur priori pro exenio in publica et privata.

#### **De salario dando pro examine et conventu medicine, et quod non possit fieri gratia de dicto salario – Rubrica [XXI].**

Item statuimus quod quilibet qui promoveri voluerit ad examen medicine, teneatur in privato examine dare et solvere collegio medicorum, pro salario doctorum eiusdem, libras duodecim bon., et pro eius publica alias duodecim libras bon.; que pecunia, tam in privata quam publica, deponi debeat penes notarium vel bidellum dicti collegij equaliter dividenda per eos vel alterum eorum inter doctores dicti collegij numerarios tunc ibidem presentes. Adhicientes quod nullus ex doctoribus dicti collegij de dicto salario possit alicui facere gratiam, vel remissionem, nisi prius per priorem dicti collegij fuerit positum partitum inter doctores eiusdem collegij, et inter eos obtentum, ut supra, nemine eorum discrepante, sub pena priori contrafacienti trium ducatorum auri, et cuiuslibet doctori duorum ducatorum, dicto collegio aplicanda, et dividenda ut supra.

#### **Quod doctores teneantur alter alterum honorare – Rubrica [XXII].**

Item, quod apud vulgum et in locis in quibus doctores nostri collegij conversant, alter alterum se invicem debeant honorare et remove infamias toto posse, ac etiam non obloqui nec detestari alterum, sub pena centum soldorum bon. pro quolibet eorum et qualibet vice, exigenda per priorem, qui pro tunc fuerit; que pena quociens commissa, tociens exigenda et dividenda [sit] inter doctores dicti collegij. Et nullus doctor dicti collegij, seu alius cuiuscumque status et conditionis existat, audeat vel presumat curare

publice vel occulte aliquem infirmum, alias curari inceptum per alium medicum quemcumque matriculatum, nisi fuerit primo eidem, primo modo per infirmum predictum competenter, arbitrio prioris predicti, satisfactum de suo salario, notificato sibi primo pro parte dicti prioris.

#### **De forma tenenda in examine cirrugie – Rubrica [XXIIIJ].**

Insuper statuimus et ordinamus, ut in examinibus cirurgicorum modus limitetur et ordo, quod ille, qui examinari debet in cirugia, primo recipiat punta de mane a priore et doctoribus dicti collegij tantum, pro prima lectione, super tercia fen quarti canonis Avicen[n]e. Et pro secunda lectione super prima parte cirusye Brunj; et quod in vesperis decretorum, vel alia hora deputata, veniat ad examen; in quo examine intersint doctores nostri collegij. Et primo debeat legere bene et puntare testum prime lectionis, postea dividere, verifficare et sententiare dictum testum, et similiter de secunda lectione. Et quod [517] quilibet doctor, vel maior pars eorum, possit arguere uno argumento tantum et unica replicatione in prima lectione. Super secunda lectione vero eodem modo fiat. Et quod examen predictum fiat et fieri debeat in ecclesia, seu monasterio, sancti salvatoris bononie, seu in alio loco per priorem et consiliarios dicti collegij, vel maiorem partem eorum, elligendo et deputando, dummodo non fiat in Ecclesia cathedrali bon.

#### **De sallario solvendo pro examine cyrugie – Rubrica [XXV].**

Item qui promoveri voluerit ad examen cyrusicorum, teneatur solvere toti collegio duodecim libras bon. et notario et bidello generali dicti collegi pro quolibet examine ipsorum soldos viginti bon. pro quolibet, et pro priore ducatum unum auri, et pro quolibet presentante ducatum unum auri.

#### **De privilegio dando cyrugicis et de forma ipsorum – Rubrica [XXVIJ].**

Ob rem publicam et ut unicuique proficiat labor suus, iuxta vivacem casiodorj sententiam, et ut melius studium vigeat et scolares animentur ad dictum studium et profectum, et ut ceteri ad scientiam et doctrinam pronptius et perfectius disponantur, et ut omnia scandalla tollantur, que athenus sunt secuta ex impericia cyrusicorum, ideoque cum nutriant premiorum exempla virtutes, prior et collegium phisicorum mature deliberans providum et discretum virum atque fidedignum ..... Magistrum ..... condam ..... de talibus, vel de tali loco, aprobatum in pratica cirusie, quo ad omnem sui partem, in matriculla cyrusicorum constituit perfectorum, licentiam, arbitrium et potestatem tribuentes eidem ut hic et ubique locorum artem cirusie valeat exercere, ad quorum omnium evidentiam clariorem privilegium presens scribi mandaverunt per ..... notarium dicti collegij, et sigilli dicti collegij bon. apensione munirj.

#### **De hijs qui possunt legere praticam phisice facultatis – Rubrica [XXVIJ].**

Constituimus et ordinamus etiam quod pro honore studij bon. et pro utilitate scholarium in medicina studentium, et ad utile et bonum publicum, quod nullus doctor phisice facultatis, civis vel forensis, audeat vel presumat legere praticam medicine, nisi fuerit doctoratus in civitate bon., vel alibi in famosissimo studio; et legerit, vel praticaverit, in dicta scientia per spatium trium annorum ad minus postquam doctoratus fuerit, de quo plenam faciat fidem nostro collegio et doctoribus eiusdem, sub pena centum ducatorum aurj, Camere domini legati totaliter aplicanda, et hoc tociens, quociens contrafecerit.

Item, quod nullus possit, audeat vel presumat legere in scientia medicine bon. tam in physica quam in cirusia, nisi fuerit doctoratus in eadem scientia in medicina, videlicet in physica, sub pena cuilibet contrafacienti quinquaginta librarum bon., aplicanda pro tercia parte domino potestati, et pro tercia parte sancto Petronio, et pro tercia parte nostro collegio. Adhicientes etiam quod nullus, cuiuscumque conditionis existat, audeat, vel presumat, preponi, vel facere se proponi ad aliquam lecturam medicine, nisi fuerit primo doctoratus, sub eadem pena exigenda per dictum potestatem, vel priorem nostri collegij, aplicanda modo predicto. Et ipsa ellectio ipso iure sit nulla. Et si rector actentaverit contra hanc nostram constitutionem, ipso facto privetur omnj comodo eidem per nostras constitutiones concesso.

### **De lecturis dandis per doctores medicine – [Rubrica XXVII].**

[518] Statuimus et ordinamus quod omnes lecture ordinarie, vel extraordinarie in medicine de mane et in nonis, salariatae per comune bon. debeant per doctores collegij physice facultatis contribui doctoribus bonis et sufficientibus, qui iurabunt corporaliter ad sancta deo evangelia, manu tactis scripturis, priori prefati collegij, eligere in dictis lecturis doctores meliores, ydoneos et magis perfectos pro scholaribus et pro honore studij bon., servata tamen prius forma statutorum comunis bononie.

### **Quod doctores physice facultatis nostri collegij possint operari in cyrurgia – Rubrica [XXVIII].**

Constituimus etiam quod omnes et singuli doctores de collegio physice facultatis, et qui de ceptero admittentur ad predictum collegium, qui voluerint legere aut praticare in arte cyrusie, sint et esse intelligantur de matriculla perfectorum cirusicorum, nullo alio examine vel scrutinio eis inpenso. Et valeant et possint legere et praticare in arte cirusie hic et ubique locorum. Huic autem adiungimus sanctioni, quod nullus, qui in matriculla cyrusicorum tantum fuerit constitutus, audeat, vel presumat, infirmos curare in physica, sub pena cuilibet contrafacienti pro qualibet vice librarum quinquaginta bon., exigenda per dictum potestatem bon., vel eius vicarium, aut per iudicem Ursi vel per priorem nostri collegij, cuius tercia pars applicetur sancto Petronio, alia domino potestati, et alia dicto collegio, dividenda inter doctores collegiatos physice facultatis. Et quod quilibet possit accuxare palam et clandestine, et habeat libras quinque bon. de dicta pena, et nichilominus teneatur talis cirusicus, qui infirmos curabit in tali physica, si aliquis de dictis infirmis moriretur in dicta cura, perinde ac si fuisset causa mortis ipsius. Et teneatur prior et consiliarij et singuli doctores de nostro collegio de hoc plenarie facere inquisitionem. Et quod dominus Potestas bon. teneatur ex suo officio contra tales procedere secundum formam dicti statuti, et quilibet possit acuxare clam et palam, et tenebitur in secreto.

### **De modo et forma fatiendi sermonem generalem in principio studij – Rubrica [XXX].**

Insuper statuimus et ordinamus quod in principio studij facultatis medicorum antiquior doctor, qui fuerit ellectus ad sedes ordinarias salariatas de mane, primo sermocinari debeat sermone universalis pro toto studio physice facultatis, quod nullus alius doctor cuiuscumque facultatis audeat, vel presumat, universalem sermonem alium facere in dicta facultate. In sequenti vero anno sermonem debeat [facere] alius, qui ad sedem ordinariam salariatam ellectus fuerit, tercio autem anno sermocinari debeat, modo quo supra, qui ellectus fuerit ad sedem practice salariatam in vesperis physice facultatis, et sic inter illos tres ordo sermocinationis servetur et modus. In logica vero et philosophia ordinamus [quod] qui ellectus fuerit ad sedem salariatam logice de mane in loicha sermonem debeat facere, et qui in philosophia ad

sedem salariatam electus, in philosophia sermonem debeat facere in vesperis decretorum, qui vero in astrologia electus fuerit [519] ad lecturam salariatam, sermocinari debeat in parvis vesperis, grammaticus vero de mane. Reticus vero, qui electus fuerit ad sedem Retorice salariatam, sermocinari debeat in nonis, jta tamen quod nullus ex dictis sermonizantibus, sermonizari debeat nec concurrere in sermone suo eadem die, vel hora, in qua sermonizatus fuerit doctor phisice facultatis. Et quod omnes doctores, qui electi fuerint ad sedes salariatas in medicina, aut qui legerint ordinarie, vel extraordinarie in medjcina debeant jnteresse dicto sermoni, sub pena cuilibet contrafacienti in omnibus et singulis casibus predictis viginti soldorum bon., aplicanda nostro collegio, in quo delinqui contigerit.

### **De modo et forma fatiendi sermonem in publicis dandis – Rubrica [XXXJ].**

Constituimus et ordinamus, ut modus servetur et ordo in sermonibus et promovendorum licentia, quod antiquior doctor legens, illius membrj collegij in quo promovendus voluerit promoveri, debeat sermocinari in publica sua et illi dare licentiam in publica dicte facultatis de mandato domini Archidiaconi tocius studij bon. primo, ex relatione magistrorum, 2.<sup>a</sup>, et sic successive, descendendo per omnes doctores usque ad minorem legentes, et salvo quod si aliquis doctor fuerit absens vel quomodolibet aliter impeditus, vel vacare non potuerit in dicto sermone, devolvatur ad subsequentem, licentia prius habita a priore, et sucesive circulariter progrediendo. Et quod quilibet magister, qui sermonizatus fuerit et licentiam dederit alicui in una facultate tantum, pro suo salario teneatur habere et habeat soldos quatragenta bon. a dicto licentiatu.

### **De oblatione fatienda per collegium in festo sancti luce – Rubrica [XXXIJ].**

Ad honorem et gloriam omnipotentis dei et glorioxe virginis marie matris [eius], tociusque curie supernorum, nec non ad honorem et laudem beatissimi et santissimi Luce evangeliste, et sanctorum cosme et damianj, statuimus et ordinamus quod omni anno in principio nostri studij, sermone celebrato, teneantur et debeant festum facere cum tubis et timanis et zalamella nostri collegij et universitatis eiusdem singuli et omnes doctores utriusque membri collegij, medicorum videlicet [et] artistarum et qui in matriculla fuerit perfectorum cirusicorum, omnesque scolares de universitate dictarum facultatum, in ecclesia beati Luce, que est in porta de castello, aut in ecclesia sanctorum cosmi et damianj, que est penes pontem de ferro, aut in aliqua ecclesia in qua fuerit altare alicuius sanctorum predictorum. Et quilibet doctor utriusque membri collegij solvere teneatur soldos tres bon., et quilibet qui fuerit de matriculla perfectorum cirusicorum solvere teneatur soldos duos bon., et omnes et singuli scolares, qui de universitate, vel matriculla fuerint scolarium dictarum facultatum, solvere teneantur soldum unum bon., et cum dupleris et candelis seriose et ordinate vadant ad dictum festum, servato semper ordine preposterioritatis inter omnes. Et quod rector universitatis scolarium antecedit et priores utriusque collegij sequantur, ipsum tenentes in medio in eundo et redeundo ad dictum festum; qui tamen rector et priores percipere faciant per bidellos suos omnibus et singulis doctoribus cirusicis et scolaribus predictis, per unam diem antea, quod solvere teneantur massario collegij phisicorum predictas pecunie quantitates et pro duplerijs et candelis, vel alijs oblationibus faciendis supradictis ecclesijs dictam pecuniam debea[n]t dispensare, sub pena cuilibet contrafacienti [520] decem soldorum bon., nisi solverit, nulla accepta excusatione vel deffensa. Item statuimus quod quilibet magistrorum nostri presentis collegij phisice facultatis, qui dignitates non habuerint in conventu, ad inefabilem medicine scientiam extolendam, illas possit assumere publice vel private, dumtaxat solverit cuilibet doctori p[re]fatj collegij quatuor soldos bon.,

et domino archidiacono ac nostro priorj cuilibet unum biretum, cirotecas et anullum pretij saltim viginti soldorum bon. Adiungentes et iniungentes quod quicumque doctor prefati collegij, qui dignitates non asumperit vel habuerit, immunis erit a salario predicto, silicet inter habentes dignitates predictas tantum dictum salarium partiatur.

**Quod nullus possit portare varium in capite nec aliqua insignia doctoratus in civitate bononie, nisi fuerit doctor – Rubrica [XXXIIJ].**

Statuimus et ordinamus quod nullus medicus, cuiuscumque conditionis et status existat, audeat vel presumat portare seu defferre varium in capite in civitate bon., nec aliqua insignia doctoratus, nisi sit doctor publice doctoratus in aliquo studio aprobato, de quo teneatur facere fidem, si fuerit requisitus, priorj et collegiarijs nostri collegij, sub pena decem librarum bon. cuilibet contrafacienti, pro qualibet vice, aplicanda pro tertia parte comuni bon., et pro tertia parte domino potestati bon., et pro tertia parte collegio prefato medicine, de facto exigenda per dictum priorem collegij doctorum scientie medicine.

**Quod dominus potestas bon. non possit astringere aliquem doctorem de collegio ad aliquod malefitium – Rubrica [XXXIIIJ].**

Sepe contingit dominum potestatem bon., vel eius officiales, cogere et cogi facere velle doctores dicti collegij pro mallefitijs commissis in dicta civitate, ideo, pro ipsius collegij et doctorum eiusdem honore, presenti constitutione firmamus quod de ceptero dominus Potestas bon. vel aliquis officialis eiusdem non audea[n]t vel presumant quoquomodo cogere aut cogi facere vel permictere aliquem ex doctoribus dicti collegij ad visitandum seu videndum aliquem, seu aliquos, pro aliquo malefficio, vel excessu, contra ipsum vel ipsos commisso et perpetrato, sine expressa licentia prioris dicti collegij.

---

In nomine domini nostri Yesu Christi, amen. Honorabiles et Egregij Medicine doctores collegij dicte scientie Medicine studij bononiensis, quorum nomina sunt hec, videlicet,

Magister Johannes de Buchis, honorabilis

prior dicti collegij Medicorum,

Magister Martinus de Cento,

Magister franciscus aristotilis,

Magister Antonius de ferris,

Magister Johannes magistri guidotti,

Magister Iohannes de cazano,

Magister Iohannes de Muglo,

Magister Guizardus de principibus,

Magister Petrus de Argelata,

Magister Vincentius magistri Antonij vincentij,

et Magister Andreas de cazano,

[521] Existentes collegialiter, et ad collegium, more solito, congregati et coadunati in sacristia nova Ecclesie chathedralis sancti Petri bonon., eidem ecclesie contigua et connexa, per Benedictum quondam

..... specia[le]m nuntium et Bidellum dicti collegij, de mandato suprascripti Egregij medicine doctoris Magistri Iohannis de buchis, ad presens collegij memorati prioris, fatientes et representantes totum Collegium medicine studij antedictj, cum sint et fuerint ultra quam due partes doctorum dicti Collegij, totum dictum collegium representantium, absentibus suprascriptis: magistro Paulo de Buvalinis, Magistro dominico de Raigosia et magistro Bandino de Muiglo, qui ab uno anno et citra non residerunt nec residentiam fecerunt in Civitate et comitatu bonon., ac etiam suprascriptis Magistro Petro de Varignana et Magistro Daniele de sancta sophia in dicta civitate residentibus, et ad presens in dicto collegio ex causa legitima personaliter interesse non valentibus, ipsique omnes undecim doctores dicti collegij sic, ut premititur, in dicta sacristia collegialiter congregati, et hac causa coadunati, tanquam totum dictum collegium representantes, unanimiter et concorditer suprascripta omnia et singula statuta et constitutiones ex alijs antiquis statutis et constitutionibus dicti collegij per ipsos omnes doctores extracta, correctata et de novo condita, facta et ordinata in presenti volumine cartarum undecim numero, presenti carta computata rescripta, et omnia et singula in eis et eorum quolibet contenta et descripta, et sub dictis Rubricis serioxe et ordinate collocata et descripta, unanimiter et concorditer, tanquam collegium antedictum, suprascriptis Magistro Iohanne de cazzano, et Magistro Andrea de cazzano, ipsius magistrj Iohannis filio, dumtaxat exceptis, qui dixerunt ac semper protestati fuerunt quod nolebant consentire certe parti tertij statuti, positi sub Rubrica *de officio et Iurisdictione domini prioris*, ubi cavetur quod prior dicti collegij possit et teneatur cognoscere de omnibus et singulis questionibus etc., dicentibus, asserentibus et expresse protestantibus se velle litigare et agere ac conveniri posse coram quocumque alio Iudice competenti, prout eis videbitur, et non coram suo priore, prout de Iure eis licet, alijs vero omnibus statutis et constitutionibus, excepta parte predicta, consentientibus et approbantibus, publicaverunt, approbaverunt, emologaverunt et confirmaverunt, et pro approbatis, validatis et publicatis per omnes et singulos, quorum interest vel interesse posset in futurum, vel poterit, haberi voluerunt, decreverunt et mandaverunt. Volentes dictj Prior et doctores omnes, exceptis dictis magistro Iohanne et Andrea de cazzano protestantibus, ut supra, ac parti dictj statuti non consentientibus, ut collegium antedictum ipsa omnia et suprascripta statuta de novo correctata, edita et ordinata et omnia et singula in eis, et eorum quolibet contenta et descripta, inviolabiliter observari. Rogantes insuper dictj Prior et doctores nos Iohannem de duiolo et Bertolomeum de muglo, notarios infrascriptos, et quemlibet nostrorum in solidum, quod de premissis omnibus et singulis public conficiamus Instrumentum.

Acta fuerunt predicta omnia Bononie in dicta Sacristia nova dicte Ecclesie chathedralis sanctj Petrij, eidem ecclesie contigua et connexa, presentibus domino Azzolino, quondam Iohannis, de ferraria, dicte Sacristie sacrista, domino Iohanne, quondam Bernardi, capellano in dicta ecclesia, et Benedicto, quondam thome, aromatario, cive bon., capelle sancti Laurentij porte sterij, testibus omnibus ad predicta vocatis et rogatis, sub annis [522] ab Incarnacione dominj nostri yesu christi Mille et quadringentis decem, Indictione tertia, die vigesimo mensis aprilis, tempore Pontificatus sanctissimi in christo patris et domini nostrj dominj Allexandrij divina providentia pape quintj.

**(L + S)** Ego Iohannes, quondam Martinj, de duiolo, Civis bon., publica, apostolica, Imperiali et Comunis Bononie ac Curie episcopalis Bon. auctoritate notarius, et nunc dicti Collegij doctorum scientie Medicine notarius et scribe, publicationi, approbationi et emologationi suprascriptorum statutorum, Constitutionum et ordinamentorum in suprascriptis undecim cartis descriptorum, per suprascriptos priorem et doctores scientie medicine factorum, dum sic, ut premititur, agerentur et fierent, una cum prenomatis testibus jnterfui, et rogatus scribere, una pariter et in solidum cum Barholomeo de Muglio

notario infrascripto, etiam dicti collegij notario, alijs impedito negotijs, ipse Bartholomeus et ego per alium, scribi fecimus fideliter de Mandato dictorum doctorum et hic me subscripsi, signumque meum consuetum apposui in testimonium premissorum.

---

Ego Bartolomeus, quondam magistri Jacobi de Muglo, civis bonon., publica, Imperialj et comunis bon. autoritate notarius, et nunc dicti Collegij doctorum scientie Medicine notarius et scribe, publicationj, approbationj et emologationi supradictorum statutorum, constitutionum et ordinamentorum, in supradictis undecim cartis descriptorum, per suprascriptum Priorem et doctores Medicine factorum, dum sic, ut premittitur, agerentur et fierent, una cum prenominitis testibus interfui et rogatus fui de predictis, [et] una pariter et in solidum cum ser Johanne de duiolo, notario suprascripto, etiam dictj collegij notario, alijs negotijs impedito, per alium scribi fecimus fideliter; in testimonium omnium premissorum me hic subscripsi et signum meum apposui consuetum.